

novissimū Universalis mundi Consummationis; *tum* propter
novissimum æternæ reprobatorum condemnationis; *tum* pro-
pter novissimum æternæ piorum glorificationis.

22. Hactenus in Oraculo noster vidimus *Apparatum*,
nunc ad *Immarcescibilis Coronæ Statum* progredimur, qui neq;
planius, neqve plenius, neqve facili9, quam per *Causas* decla-
rari potest, cum primis dum *Petrus* in brevissimis oraculi ver-
bis omnes causas adducit, ita quidem ut singula verba sin-
gula causarum pondera præ se ferant, adeoq; quot voculæ,
tot etiam causæ comparent. (I.) *Efficiens causa*, dicitur Princeps
pastorum (II.) *Causa materialis* notat ipsam gloriæ Coronam.
(III.) *Causa Formalis* consistit in reportatione. IV. *Causa Fina-*
lis, quoad finem *Cui*, cum dicantur hoc loco fideles *Ecclesiæ*
Pastores gloriæ coronam accepturi.

23. *Efficientem Causam* quod attinet, *Princeps pastorum*,
vel uno titulo, juxta textum *Authenticum*, Ἀρχιεπιστοπικὴν *Autor* hu-
jus gloriôsæ *Coronæ* producitur. Hic autem *Princeps pastorum*
non est alius, quam *Christus Jesus*, *Salvator noster*. Hic dicitur,
& est (1) *Verus Princeps* (a) quia *Princeps Regum terræ*, Apoc. I.
5. (b) *Princeps militiæ Jehovæ* Joh. V. 14. (c) *Princeps pacis* Esa. IX.
6. (d) *Princeps David*, quia *Messias* vocatur *servus Jehovæ*
David, *Princeps in medio gregis ovium* Ezech. XXXIV. 24.
(e) *Princeps Sanctuarii*, vel *Templi*, cap. XLIV. 2. *Porta hæc clau-*
sa erit, & non aperietur, & vir non transibit per eam, quoniam domi-
nus Deus Israel ingressus est per eam, eritq; clausa Principi. V. 3. *Prin-*
ceps ipse sedebit in ea, ut comedat panem coram Domino, per viam
porta vestibuli ingredietur, & per viam ejus egredietur, (f) *Princeps*
sacrificii, quod *Christus* per semetipsum *Patri* tulit, (g) *magnus*
Princeps Michael, Don. XII. 1. (h) *Princeps, vel Autor vitæ* Act. III. 15.
(i) *Princeps, vel auctor salutis*, ἀρχηγὸς Ἰησοῦ σωτηρίας. [x] *Princeps I,*
auctor fidei, ὁ ἀρχηγὸς Ἰησοῦ τῆς πίστεως Hebr. XII. 2. &c.

24. (2) *Verus Pastor*, quia *Messias* dicitur (a) *Pastor Jehovæ*
Psal. XXIII. 1. Jehovæ Pastor meus, nihil mihi deerit. (b) *Pastor Je-*
hovæ Ezech. XXXIV. 23. *Ego suscitabo super eos Pastorem.* (c) *Pastor*
unus: suscitabo Pastorem Unum, ibid. (d) *Pastor David, ibid. sus-*
citabo